



## **Polyanthea Sacra**

Ex Universæ Sacræ Scripturæ Utriusque Testamenti Figuris, Symbolis, Testimoniis, Nec Non E Selectis Patrum, Aliorumque Authorum, Sententiis, eruditis Interpretationibus, Similitudinibus, rarisque Historiis collecta, Et Copiosis, Exquisitisque Materiis Moralibus De Virtutibus Et Vitiis Pro ...

**Spanner, Andreas**

**Augustae Vindelicorum, 1702**

Titulus III. Recreatio.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-79369](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-79369)

## TITULUS III. RECREATIO.

**E**Rat autem populus jucundus secundum faciem Sanctorum. Judith. 16. 24. hoc est, ad modum, quo gaudere sancti solent: qui, cum oblectationem aliquam capiunt, modestiæ regulam, temperantiæ perpendiculum, cautionis normam, frugalitatis frantum, attentionis lineam, semper ad manum habent: ad quam relaxationis suæ suavitatem exigant. Did. Nifs. Pol. Cœl. p. 1. l. 7. c. 7.

*Cantate Domino canticum novum.* Psal. 97. 1. & v. 4. *Cantate, & exultate, & psallite.* Quid est cantare Domino? servire, gratificari. In canu dantur pauſæ: lassabit continuus concentus, & tenor. Fieri non potest, ut perpetuò quis oret, aut corpus flagellet; aut, tanquam mutus, nunquam loquatur; aut omnes jejundet dies. Est hic nimis altus tonus. Id. ib.

*Hortus conclusus Soror mea.* Cant. 4. 12. Sim. Casl. l. 13. c. 8. in Evang. sunt deliciae Paganorum, & Infidelium; sed non conclusæ: sunt deliciae peccatorum; sed non conclusæ: sunt verorum Christianorum; sed conclusæ. Deliciae Christianorum certos fines habent, certis limitibus concluduntur. In cursibus demonum patet, qui non stat in horto concluso.

*Venite seorsum in desertum locum, & requiescite pusillum.* Marc. 6. 31. Pius Magister, ac Dominus, Discipulorum labori, & fatigationi compassus, concessit eis respirationem, recreationem, & quietem: veruntamen non magnam, nec longam; sed brevem & modicam: ostendens, non diu cessandum esse ab opere bono; nec ultra necessitatem indulgendum esse corporali quieti: sed usque in finem invictò animò perseverandum esse in opere virtuoso. Dion. Carthuf. hic.

*Jesus fatigatus ex itinere sedebat super fontem.* Joan. 4. 6. Instruit te, quid agere debeas, cum à labore desillis, & qualis sit recreatio appetenda. Neq; enim, si diutius laborare nequeas, docet intendere fabulis, aut somnò delectari; sed quid? super fontem sedeas, solatium Spiritus quæras: Scripturæ sanctæ fluentis intende. Thom. Kemp. conc. 19.

*Gaudete in Domino semper.* Philipp. 4. 4. *modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* v. 5. S. Thom. Aqu. hic: ita sit moderatum gaudium nostrum, quod non vertatur in dissolutionem.

Caveamus; nè dum relaxere animum volumus, solvamus omnem harmoniam, quasi concentum quandam bonorum operum. S. Ambros. Eth. Christi. l. 1. c. 20.

## TITULUS IV. REDEMPTIO.

## § I.

### Vocatur Justitia.

**S**on in iudicio redimetur. Isa. 1. 27. Christi redemptio, licet opus fuerit summæ clementiæ, & misericordiæ; hic tamen vocatur iudicium, & justitia: quia Christus ex justitia solutò lytrò, putà pretiò sanguinis sui, nos redemit. Cornelius hic.

Non tantum erat peccantium peccatum, quanta pro illis morientis iusticia: non tantum nos peccavimus, quantum ille iuste egit, qui animam pro nobis posuit. S. Cyrill. Jerof. Ca. tech. 13.

## § II.

### Redemptio major creatione.

**H**æc cum dixisset, insufflavit. Joan. 20. 22. Hæc insufflatio significat novam dignitatem homini concessam. Gen. 2. 7. *inspiravit Deus in faciem Adæ spiraculum vitæ; & factus, est homo in animam viventem.* Nunc verò iterum in hominem sufflavit. Et sicut antea limum in hominem viventem suo flatu mutavit; sic modò eodem Spiritu hominem in Deum certò quòdam modò convertit: Deus enim est, qui Spiritu Dei plenus existit. Ex quo

apparet, nos Deo propter redemptionem multò plus, quàm propter creationem, debere. Nam, quia nos creavit, esse hominis quia verò redemit, esse divinum ei debemus: cum ejus gratiæ participes facti simus. Diez. conc. 2. D. in Alb.

Gratias tibi agimus, Jesu Christe, quòd creasti nos: sed creatos feris bestiis, mutis animantibus, præfecisti. Majora sunt visitationis tuæ munera. Visitatos majestatis tuæ consortiis honorasti, dicens: *narrabo nomen tuum fratribus meis.* Ps. 21. 23. Suseptò enim corpore frater es factus; nec Dominus esse desisti. S. Ambros. octon. 20. in Ps. 118. Vide humilitatem meam &c.

Sex diebus condidit omnia, & te inter omnia. At verò per cotos triginta annos operatus est salutem in medio terræ. S. Bernard. l. 9. in Cant.

Urget ratio, & justitia naturalis, ut totum me per amorem tradam tibi, à quo me totum habeo. Et si totum me debeo tibi, quia me fecisti; ad magis amandum sum obligatus, quia me refecisti: nec tam facile me refecisti, quàm fecisti. Nam semel dicendo me fecisti, sed reficiendo, & dixisti multa, & gessisti mira, & pertulisti dura: nec tantum dura, sed indigna. S. Idiota de am. div. c. 10.